

bilem ab intendente acquiri: b) ut voluntas modo infallibili prosequatur finem assumendo media ex se omnino efficacia, iisque modo infallibili de facto utendo: c) ut voluntas tendat in finem intentum tamquam omnino certum infallibiliter eventurum; quare sperans debet sibi persuadere, se finem per ea media infallibiliter adepturum: d) ut voluntas firmiter ac constanter statuatur finem prosequi, ita ut sit parata potius quidve agere aut pati, quam ab ea intentione dimoveri.

His omnibus conditionibus speravit Christus D. dum vivebat futuram sui corporis beatitudinem, eam suam beatitudinem sperant animae purgatorii, et talis tandem fuisse videtur spes B. V. Mariae et eorum omnium, qui confirmati in gratia, singularem de sua praedestinatione habuerunt revelationem. Communi viatorum spei deest tertia conditio, nec necessaria est secunda pars secundae conditionis: nam multi catholici incidunt in gravia peccata et in iis quandoque etiam vitam finiunt, qui tamen usque ad extremum vitae retinent veram spem saltem habitualement, si nullum actum contra fidem aut spem admittant.

II. Prima pars est doctrina catholica et in re de fide; secunda pars expresse definita est contra protestantes existimantes: unumquemque fidelem debere omnino certe ac infallibiliter sibi persuadere se esse ex numero praedestinatorum.

130. I.^a Pars. Prob. 1.^o Clarissimis sacrae Scripturae testimoniis: David aiebat (1): *Universi, qui sustinent te non confundentur.* Ecclesiasticus (2): *Nullus speravit in Domino et confusus est.* Paulus ad Timotheum (3): *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare.*

2.^o Doctrinam concil. Tridentini (4) dicentis: «In divino auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent.» S. Bernadi tamquam Patrum testis (5): «Quis speravit in eo (Deo), et confusus est? Facilius est caelum et terram transire, quam verbum ejus evacuari.»

3.^o Ratione theologica, spes nostra prout ex parte Dei pendet nititur in fide promissionum ejus. Sed Deum adimpleturum esse quae promissit ipsa certissima fide constat. Ergo...

II.^a Pars jam alibi (6) est probata, ideo hic breviter argumenta innuuntur: 1.^o Est definita a concil. Tridentino (7): «Si quis dixerit hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero praedestinatorum, anathema sit.»

(1) Ps. XXIV, 3.—(2) II, 11.—(3) I.^a I, 12.—(4) Sess. 6, cap. 13.—(5) Serm. 9 in Ps. *Qui habitat*, n. 6.—(6) Disq. IV, Thes. XXVII.—(7) Sess. 6, can. 15.

2.^o Traditur in Scriptura apud Eccles. (1): *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit.*

3.^o Probatum ratione; promissio beatitudinis non est absoluta, sed conditionata, scilicet, si nostra non desit cooperatio gratiae usque in finem. Atqui conditio haec seu nostra cooperatio gratiae usque in finem potest deficere cum sit libera. Ergo... *Maj.* prob. Ex sacra Scriptura, ut ex S. Matthaeo (2): *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Ex Apostolo (3): *Si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Obj. Fides theologica est summe certa quamvis revelationis existentia sit solum moraliter certa: ergo a pari spes erit summe certa quamvis cooperatio nostra gratiae usque in finem sit solum moraliter certa. Confirm. Fide certum est, Deum omnibus adultis dare gratiam sufficientem ad perseverandum usque ad mortem aut poenitentiam; et fide etiam constat, perseverantibus aut poenitentibus Deum collaturum esse vitam aeternam: ergo in hac fide fundari poterit ex parte nostra summa spei certitudo.

Resp. 1.^o Neg. suppos. *conseq.* i. e. certitudinem moralem de nostra cooperatione usque in finem tantam esse quantam esse deprehendimus certitudinem moralem de existentia revelationis, quae omne prudens dubium excludit; haec enim timorem errandi expellit; illa vero, seclusa revelatione, secum patitur timorem pereundi monente Apostolo (4): *Cum metu et tremore vestram salutem operamini* (5). *Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time.*

Resp. 2.^o Neg. paritatem; nam motiva credibilitatis, quae existentiam revelationis certam faciunt, omnino extrinsece se habent ad ipsam fidei certitudinem, quae unice nititur in summa auctoritate Dei revelantis; cooperatio vero nostra gratiae usque in finem requiritur ad certitudinem spei intrinsece et ut motivum proximum; ergo quantumcumque haec moraliter certa esset, nunquam summam fidei certitudinem spei tribueret.

Ad confirm. Dist. *antec.* Certum est Deum dare omnibus adultis gratiam sufficientem ad perseverandum, et perseverantibus vitam aeternam, et simul certum omnes adultos cooperaturos gratiae usque in finem; neg. Et simul non est certum omnes adultos cooperaturos gratiae usque in finem; conc.

THESIS XXIII.

Spes actualis est adultis necessaria necessitate medi et praecepti, et nullus datur in hac vita perfectionis status in quo actus spei uti illi repugnans excludatur.

(1) IX, 1.—(2) IX, 17.—(3) Rom. III, 13.—(4) Phil. II, 12.—(5) Rom. XI, 20.

131. **Nota.** I. Prima pars intelligitur quoad actum formalem spei saltem per se et ordinario; nam in aliquo casu, Ripaldae (1) et aliis non est absolute et in re necessarius actus spei; non enim apparet cur actus formalis spei actu dilectionis, qui sola fide praeecedente haberi potest, suppleri non possit.

II. Quietistae, duce Michaele de Molinos († 1696), docebant verum perfectionis statum neminem attingere, nisi qui omni amore sui posthabito vere fieret indifferens circa propriam perfectionem, salutem et damnationem. Deducitur ex propositione 12.^a Michaelis ab Innocentio XI damnata: «Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso, nec debet desiderium habere propriae perfectionis, nec virtutum, nec propriae sanctitatis, nec propriae salutis, cujus spem expurgare debet (2).» Utraque pars theseos est certa et communis modo explicato.

132. I.^a Pars. Prob. 1.^o Ex Apostolo ad Hebraeos (3): *Sine fide autem impossibile est placere Deo: credere... oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit*; ubi inter articulos fidei necessitate medii credendos includit illum: *quia... inquirentibus se remunerator sit*: ex quo sequitur Deum necessario esse inquirendum et sperandum ut remunerator seu auctor salutis cujusvis adulti existat; nam ille actus fidei per se immediate inducit ad Deum inquirendum et in eum sperandum. Eodem testimonio probatur necessitas praecepti, cum Deus positive praecipiat omnia, quae sunt ad salutem necessaria. Confirm. necessitas praecepti ex pluribus aliis sacrae Scripturae locis in quibus exercitium actus spei a fidelibus exigitur, v. g. in Psalmis (4): *Sperate in eo omnis congregatio populi*. In epistolis S. Petri (5): *Sperate in eam, quae offertur vobis, gratiam in revelationem Jesu Christi, etc.*

2.^o Tridentinum (6) concil. inter dispositiones ad justitiam consequendam necessarias, ac proinde necessitate quam dicimus medii, collocat spem: «Disponuntur ad ipsam justitiam, dum exci-

(1) De ente supern. D. ult. sect. 33; De virtut. theolog. D. 25; n. 81.—

(2) Hanc doctrinam quoad principia, non quoad consecutaria propugnandam suscepit Illmus. Fenelon, qui putabat, posse animam in hac vita ad eum perfectionis statum pervenire in quo nullum proprium commodum quaereret semperque operaretur ob purum Dei amorem. Refutatus a Bossuetio magna orta est controversia, quam Innocentius XII reprobatis in opere Fenelonis (Explication des maximes des Saints sur la vie interieure,) viginti et tribus propositionibus diremit. Pontificis iudicio non minus debita quam admirabili humilitate, insigni obedientiae exemplo Fenelon se subiecit. (Vid. Wirceburg. De virt. theolog. n. 272.)—(3) XI, 6.—(4) LXI, 9.—(5) I.^a I, 13.—(6) Sess. 6, cap. 6.

»tati divina gratiâ et adjuti... ad considerandam Dei misericordiam
»se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter
»Christum propitium fore.» Inter damnatas ab Alexandro VII propositiones prima est: «Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.»

3.^o Cum D. Thoma (1), quia spes sicut fides est praeambulum per se necessarium ut homo subjiciatur Deo. Sed Deo subijci est necessarium ad salutem. Ergo et spes est necessaria et quidem necessitate medii, cum sit per se necessaria dispositio ad subjectionem. *Maj.* ita declaratur ab Angelico: «Praeceptorum, quae in sacra Scriptura inveniuntur, quaedam sunt de substantia legis, quaedam vero sunt praeambula ad legem. Praeambula quidem sunt ad legem illa quibus non existentibus lex locum habere non potest. Hujusmodi autem sunt praecepta de actu fidei et de actu spei; quia per actum fidei mens hominis inclinatur, ut recognoscat auctorem legis talem, cui se subdere debeat, per spem vero praemii homo inducitur ad observantiam praeceptorum. Praecepta vero de substantia legis sunt quae homini jam subjecto et ad obediendum parato imponuntur, pertinentia ad rectitudinem vitae.»

II.^a Pars. Prob. 1.^o Ex propositionibus quietistarum a SS. Pontificibus damnatis; Innocentius XI ann. 1687 proscripsit 68 propositiones quarum 12.^a ut vidimus in nota I dicebat: «Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere... nec propriae salutis, cujus spem expurgare debet.» Innocentius XII ann. 1699 alias 23 propositiones quarum 1.^a «Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam.» 2.^a «In statu vitae contemplativae sive unitivae amittitur omne motivum interessatum timoris et spei.»

2.^o S. Paulus romanis proponens (2) exemplar christianorum perfectorum, dicit illos tales esse, qui sint: *Domino servientes spe gaudentes*. Christus D. Apostolos aliosque ad culmen perfectionis invitabat proposito praemio (3): *Omnis, qui reliquerit domum vel fratres... centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit*. Viri tandem sanctissimi et perfectissimi spe erigebantur; sic David (4): *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas... propter retri-*

(1) 2, 2, Q. 22, art. 3.—(2) Rom. XII, 11, 12.—(3) Matthae. XIX, 29.—(4) Ps. CXVIII, 112.

butionem; sic Apostolus (1): *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex; non solum autem mihi sed et iis, qui diligunt adventum ejus.*

3.^o S. Augustinus (2): «Non sic dicimus (in orat. dominica) veniat regnum tuum, quasi optemus ut regnet Deus; sed »hoc est quod cogitamus et rogamus, ut nobis veniat.» Sed orationem dominicam etiam perfectissimi recitare debent. Ergo... S. Bernardus (3): «Nescio, si a quopiam hominum quartus in »hac vita gradus perfecte apprehenditur, ut se, scilicet, diligat »homo tantum propter Deum. Asserant hoc si qui experti sunt; »mihi, fateor, impossibile videtur.»

4.^o Rationes contrariae quietistis sunt: a) Spes ex prima parte est necessaria necessitate medi et praecepti. Sed nullus fidelium quamvis perfectissimus eximitur a praeceptis servandis. Ergo... b) Si ex aliquo perfectionis statu excluderetur spes esset vel propter imperfectionem spei—vel propter purum charitatis amorem—vel quia requiritur indifferentia erga propriam salutem ad summam perfectionem adipiscendam. Sed non primum, quia licet actus spei non sit aequè perfectus relative ad actum charitatis, in se tamen honestus est, supernaturalis, vere theologicus et per se amabilis;—neque secundum, cum amor purus simul cum respectivo ad nosmetipsos esse possit;—neque tertium, tum quia Scriptura et traditio praeceptum spei et propriae salutis curam omnibus inculcant; tum quia homo, nisi prorsus irrationabiliter agendo, nequit parvi pendere ultimum finem suum illumque non appetere. Hinc damnatae ab Innocentio XII propositiones 9.^a «In extremis probationibus potest animae invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, et quae non est intimus conscientiae fundus, se »juste reprobata esse a Deo.» 12.^a «Director tunc potest huic animae permittere, ut simpliciter acquiescat jacturae sui proprii interesse et justae condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.» c) Consectaria, quae contra fidem et bonos mores inferebant quietistae, ut videre est, in eorum damnatis propositionibus; in exemplum sint ex damnatis ab Innocentio XI. 2.^a «Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus »agens...» 3.^a «Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.» 36.^a «Nulla creatura, nec beata Virgo, nec Sancti sedere »debent in nostro corde; quia solus Deus vult illud occupare et »possidere.» 38.^a «Crux voluntaria mortificationum pondus grave »est et infructuosum, ideoque dimittenda.»

(1) II.^a Timoth. IV, 7, 8. — (2) Serm. 57, *De diver.* — (3) *De dilig. Deo*, c. 15.

133. Obj. 1.^o Juxta Apostolum (1): *Charitas non quaerit quae sua sunt.* Ergo perfectae charitati repugnat spes, quae quaerit suum bonum.

Resp. Explico *antec.* Non quaerit quae sua sunt inordinate; conc. Ordinate; subdist. Per se, formaliter; conc. Per actus spei, cui potest imperare; neg. Rationem *conseq.* dist. Spes quaerit suum bonum ordinate; conc. Inordinate; neg.

Obj. 2.^o S. Bernardus ait (2): «Inde (anima) transit ad tertium gradum, ut diligat Deum; non jam propter se, sed propter ipsum: sane in hoc gradu diu statur.» Ergo non est S. Bernardo impossibilis status puri amoris.

Resp. Ex verbis ejusdem melliflui doctoris in probationibus allatis deducitur, ipsum non loqui exclusive sed inclusive respectu spei; unde dist. *conseq.* S. Bernardo non est impossibilis status puri amoris, sic dictus propter frequentiores actus amoris et quia ut plurimum anima ex motivo charitatis operatur; conc. Sic dictus propter exclusionem actus spei; neg.

Obj. 3.^o a) Moyses Deum precabatur (3): *aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* b) Similiter S. Paulus (4): *Optabam... ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Ergo ipsius beatitudinis spei renuntiare licet.

Resp. Neg. *conseq.* et declaro *antec.* quoad a) vel cum S. Gregorio (5) et S. Hieronymo (6) de libro hujus temporalis vitae intelligendo, ad sensum quo alias ipse Moyses oravit Dominum (7): *sin aliter tibi videtur, obsecro, ut interficias me... ne tantis afficiar malis:* vel cum S. Augustino (8), qui vult Moysem hyperbolice et hypothetice loquutum esse, ut vehementissimum suum affectum exprimeret, non vero desiderando suam damnationem, eamque postulando. Moyses se gessit ut mater, quae ad placandum suum maritum contra filium iratum diceret: occide me si filio ignoscere renuis, quamvis certa esset, se occidendam non esse. Audias ipsum S. Augustinum: «Securus hoc »dixit, ut a consequentibus ratiocinatio concludatur, i. e. ut quia »Deus Moysem non deleteret de libro suo, populo peccatum illud remitteret.»

Quoad b) etiam utroque modo respondetur a Patribus; intelligunt de morte temporali S. Hieronymus (l. c.) et Orige-

(1) I. Corinth. XIII, 5.—(2) *De dilig. Deo*, c. 15.—(3) Exod. XXXII, 31, 32.—(4) Rom. IX, 3.—(5) L. 9, Moral. c. 7, n. 23.—(6) Epist. 121 ad Algas. c. 8.—(7) Num. XI, 15.—(8) Q. 147 sup. Exod.

nes (1); de morte aeterna hypothetice et in quantum liceat S. Chrysostomus (2) et alii. S. Thomas ita exponit (3): «*Optabam... ego ipse anathema esse a Christo* i. e. separatus ab eo: »quod quidem fit dupliciter. Uno modo per culpam... Sic enim »Apostolus non poterat optare esse anathema a Christo pro »quacumque causa... alio modo potest aliquis esse separatus a Christo, i. e., a fruitione Christi quae habetur in gloria. Sic autem separari a Christo volebat Apostolus pro salute gentilium, nedum pro »conversione judaeorum... Et hoc modo dicebat *optabam*, scilicet, »si fieri posset anathema esse, i. e. separatus a gloria vel simpliciter, vel ad tempus propter honorem Christi, qui est ex conversione judaeorum (4).»

SCHOLION.

De rebus sperandis.

134. De necessitate medii oportet sperare:

I. Saltem confuse aliquam retributionem supernaturalalem, ut colligitur ex citato loco Pauli ad Hebraeos: *accedentem ad Deum*, etc.

II. Remissionem peccatorum, ex Tridentino supra n. 132, prob. 2.^o

III. Quidquid necessarium est ad salutem, sed de his bonis potest esse implicita et explicita spes, sicut est fides; unde eodem modo est de utraque loquendum, proportione servata (5).

De praecepto spei, quomodo et quando obliget consule moralistas.

THESIS XXIV.

Habitus spei, manet: a) in peccatoribus eam non destruentibus peccato mortali directe contrario aut infidelitate; b) in animabus purgatorii; non vero manet: c) in damnatis, neque in beatis d) sub ratione spei, e) sub ratione tamen aliorum actuum probabiliter conservatur.

135. **Nota.** Certum est, cum D. Thoma (6), subjectum proximum spei theologicae et supernaturalis esse voluntatem, cum spes actualis sit ex dictis desiderium efficax beatitudinis supernaturalibus auxiliis obtinendae; unde spes habitualis erit habitus in-

(1) In ep. ad Rom. l. 7, n. 13.—(2) In ep. ad Rom. homil. 16, n. 1.—(3) In comm. in h. l. lect. 1.^a—(4) Vid. Card. Mazzellam. De virtut. infusis. D. 5, art. 5.—(5) Vid. Suar. D. 2, de spe sect. 1, n. 5.—(6) 2, 2, Q. 18, a. 1.

fusis residens in voluntate, eam elevans et adjuvans ad eliciendos supernaturales actus spei. Spem esse connaturaliter cum gratia in justis jam in quaestione praev. Dico IV. stabilitum est; hic solum agendum est de illis subjectis de quibus dubitari possit an in eis maneat vel non spes; thesis est communis theologorum quoad omnes suas partes praeter ultimam, quae est probabilis adversus contrariam negantem communiorem et plurium Doctorum.

I.^a Pars. a) Est probata supra quaest. praevia Dico V.

II.^a Pars. b) Quia animae purgatorii possunt elicere veros actus spei de beatitudine aeterna; haec enim respective ad illas habet rationem boni, absentis, possibilis, nec non suo modo ardui, cum debeant illam acquirere post toleratas acerbissimas purgatorii poenas.

III.^a Pars. c) Quia in damnatis actus spei beatitudinis, imo et cuiusvis boni a Deo obtinendi est impossibilis; non enim possunt iudicare, ut ad spem requiritur, beatitudinem aliudve bonum supernaturale sibi esse possibile et probabiliter futurum; cum una eorum poenarum sit, certo et indubitanter cognoscere se in aeternum esse a Deo reprobatos et igni et horrore sempiterno addictos.

IV.^a Pars. d) Prob. 1.^o Cum Apostolo (1): *Quod videt quis, quid sperat?* Sed beati vident et possident beatitudinem. Ergo nequeunt seu repugnat eos illam sperare.

2.^o Proprius actus spei est de re nondum habita. Sed beati jam possident beatitudinem, ita ut nec permanentiam in ea sperare valeant. Ergo... *Min.* prob. Duratio intrinseca illius beatitudinis est aeternitas participata a Deo, atque adeo tota simul, unde simul tenetur et beatitudo et duratio ejus. Confirm. De ratione illius beatitudinis essentialis est immutabilitas. Sed in bono ab intrinseco immutabili non distinguitur possidere tale bonum, et immutabiliter seu sine tempore formali possidere. Ergo...

V.^a Pars. e) 1.^o Haec pars, sumitur a Suario (2) ex modo, quo Angelicus loquitur de spe Christi (3), ait enim: «Christus autem a principio suae conceptionis plene habuit fruitionem divi-»nam... et ideo virtutem spei non habuit: habuit tamen spem respectu aliquorum, quae nondum erat adeptus, licet non habuerit »fidem respectu quorumcumque; quia licet plene cognosceret omnia, »per quod totaliter fides excludebatur ab eo, non tamen adhuc plene habebat omnia, quae ad ejus perfectionem pertinebant; puta »immortalitatem et gloriam corporis, quam poterat sperare.» Ergo similiter beatae animae in caelo habent spem gloriae proprii corporis. Sed ubi datur actus alicujus virtutis, datur et virtus illius elicitive. Ergo... Nec excipias, spem propriae gloriae corporeae esse transitoriam nec semper futuram, nam:

(1) Rom. VIII, 24.—(2) De spe. sect. 8, n. 5. Disp. I.—(3) 3, Q. 7, a. 4.

2.º Praeter hunc actum possunt animae beatæ alios actus elicere pertinentes ad habitum spei, nempe actum amoris Dei tamquam proprii boni, gratulationis et gaudii de beatitudine obtenta. Sed hi actus sufficiunt ut habitus spei otiosus in beatis non sit, sed operativus et necessarius ad producendos connaturaliter actus ad spem pertinentes et quidem omnium principalem et magis per se intentum, gaudium, scilicet, de Deo ut a nobis possesso. Ergo sub ratione aliorum actuum ab actu spei strictæ distinctorum, doceri potest manere in beatis virtutem spei.

136. **Corollaria.** Ex prima parte sequitur: 1.º Odium et contemptum beatitudinis destruere spem; quia sunt virtualiter desperatio, est enim cum eis impossibile efficax beatitudinis desiderium, quod est principalis affectus spei in hac vita. Ergo sicut desperatio beatitudinis, etc.

2.º Sequitur praesumptionem si non fundetur in errore haeretico non expellere spem; quia non opponitur spei neque ejus fundamento, quod est fides.

3.º Sequitur non amitti spem per omissionem gravem praecepti spei; quia ex nullo capite reddit hominem indispositum ad spem actu exercendam.

137. Obj. 1.º Ex Apostolo (1): *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Sed nulla fides manet in beatis. Ergo neque spes, quae in fide fundatur.

Resp. Declaro *maj.* *Fides est sperandarum substantia rerum, etc.,* pro statu viae, ubi non nisi fide res supernaturales cognoscimus; conc. Pro statu patriae; neg.

Obj. 2.º S. Paulus tum Corinthiis (2), cum Romanis (3) significat spem non remanere in patria. Idem aperte docent Patres, qui ab adversariis nostris allegantur. Ergo...

Resp. Significant Scriptura et Patres spem non remanere in patria, absolute et in omni sensu; neg. Relative et restricte ad actum spei vel habitum qua elicitive actus spei; conc. Ad aliud non se extendunt eorum rationes; ergo neque nos debemus intelligere eorum sententias tamquam exclusivas virtutis seu habitus necessarii ad alios actus ab actu spei diversos, eliciendos.

Obj. 3.º Omne gaudium beatorum est ex charitate: ergo habitus spei non est necessarius ad gaudendum de Deo possesso.

Res. Dist. *antec.* Est a charitate, exclusive et solum elicitive ab ipsa; neg. Inclusive et cum ordinatione a charitate; conc. Beati experiuntur sibi Deum esse summum bonum, ac proinde non possunt de eo non gaudere, cum gaudium naturaliter resultet ex posses-

(1) Hebrae. XI, 1.—(2) I.º XIII, 8.—(3) Rom. VIII, 24.

sione et experientia boni proprii prius desiderati, non tamen in tali amore et gaudio sistunt, sed illos affectus ad Deum ipsum per charitatem referunt. In eo tandem quod simul Deum ament amore concupiscentiae et amicitiae, nulla imperfectio involvitur, sed potius majoris perfectionis abundantia, cum perfectius sit utroque amore simul amare Deum quam solo benevolentiae amore (1).

SCHOLION.

De desperatione.

138. **Dico I.** Desperatio est fuga beatitudinis ut non futurae existimatae, et consistit adaequate in actu voluntatis.

I.ª Pars. Prob. Spes strictè sumpta respicit ut objectum beatitudinem quatenus futuram: ergo desperatio immediate et formaliter spei strictè sumptae opposita respiciet beatitudinem ut non futuram, seu taliter existimatione reputatam. Confirm. Si quis, cur desperet ab aliquo bono consequendo, interrogetur, profinus respondebit, quia non apparet ei possibilis sive propter aliquas difficultates insuperabiles, sive propter alia motiva, consequutio illius boni; ergo idem sentiendum est de desperatione beatitudinis.

II.ª Pars. Prob. Juxta communem existimationem spes et desperatio sunt actus inter se immediate et formaliter oppositi. Sed spes est adaequate actus voluntatis. Ergo et desperatio erit adaequate actus voluntatis, cum actus immediate et inter se formaliter oppositi ad eandem facultatem pertinere debeant (2).

139. **Dico II.** Praeceptum non desperandi est negativum.

Ita D. Thomas (3); nam licet solum detur praecceptum affirmativum sperandi, quia tamen ipsum affirmativum praecceptum est in tanta obligatione, ut per se contineat rationem debiti, intelligitur per ipsum prohiberi omnia, quae illius positivi praeccepti obligationi repugnant: ergo omnes actus, qui sunt contrarii spei, maxime desperatio, sunt intrinsece mali malitiâ contraria spei: ergo erunt pro semper prohibiti, sed quod pro semper prohibetur continetur sub negativo praeccepto. Ergo...

140. Objectio et quaestio de homine viatore, cui certo futura propria condemnatio revelaretur.

Sed dices si Deus alicui revelaret ipsum esse reprobum, ille posset licite desperare. Ergo non semper, etc.

Resp. 1.º S. Bonaventura (4) cum aliis negando possibilitatem casus, quod licet verum sit de potentia ordinaria, de potentia tamen absoluta non admittitur: nam, Deus revelare potest cuilibet quicquid certo scit esse futurum; sed de aliquibus scit certo futu-

(1) V. Suar. De spe D. 1, sect. 8; Platelli De spe a n. 366.—(2) Vid. Ripalda De virt. theolog. D. 28, sect. 1.—(3) 2, 2, Q. 22, a. 1.—(4) 1, D. 48, circa litt.

ram eorum damnationem; ergo eis eam revelare potest. Talis revelatio nullam dicit repugnantiam secundum se, nec respectu Dei, cum non sit mala intrinsece et ex objecto, quod est actus justitiae vindicativae; nec causativa sit ullius mali moralis, nisi per accidens ex malitia hominis, non autem per se; nec impeditiva sit alicujus boni, ad cuius omissionem Deus non possit habere se permissive, aut etiam positive concurrere, et quidem multo magis quam per talem revelationem, ut de facto concurrat ad omissionem omnis exercitii virtutis per immissionem stultitiae (1). Unde admisa casus possibilitate communior sententia cum Suario:

Resp. 2.^o his conclusionibus: I.^a Illi cui facta esset suae damnationis revelatio non teneretur ad sperandum, non quia proprie sit ablatum praecipuum, sed quia ratione status deest potestas.

Prob. a) Voluntas sequitur iudicium rationis; ergo non potest absoluto et efficaci actu tendere in id, quod simpliciter iudicat non esse futurum. b) Hic et nunc posita praedicta revelatione, iudicatur impossibile sperare; sed voluntas efficaciter non nisi in objectum possibile futurum ferri potest; ergo... c) Ita se haberet homo ille ad suam beatitudinem sicut nunc nos ad reprobos in confuso; sed nos non possumus sperare vel efficaciter desiderare beatitudinem reprobis ut docet S. Augustinus (2). Ergo...

II.^a Posset nihilominus sperare auxilium necessarium ad aliqua bona opera et ad vitanda singula peccata.

Ratio est, quia haec sperare non repugnat revelationi certae suae damnationis.

III.^a Probabilius non posset licite desperare, nec deberet proprie et positive de misericordia Dei.

Est contra aliquos aliter sentientes (3), sed prob. a) Quia talis homo non necessitatur proprie ad desperandum; ergo potest non elicere talem actum; ergo neque debet, nec licite potest, cum nulla in tali actu apprehendatur honestas. b) Ille homo quamvis deberet credere se fore damnandum, simul tamen credere deberet non ex defectu misericordiae divinae, sed ex suo defectu fore damnandum: ergo non posset proprie desperare de Deo. c) Talis homo non posset odio habere beatitudinem et Deum, nec desiderare carere illa: ergo deberet potius desiderare et conari ad faciendum quod in se est.

Haec intelligenda de casu in quo revelatio propriae damnationis esset omnino ex ipsis terminis absoluta et extraordinario modo facta, nam si fieret ordinario modo, quamvis termini essent absoluti, intelligeretur ut docet D. Thomas (4) comminatorie et conditionate. Ratio est, quia huiusmodi revelatio admittit talem

(1) Platelli. De spe n. 339.—(2) De civ. Dei. L. 21, c. 15.—(3) V. Ripalda. De virt. theolog. D. 26, sect. 3, 4; Platelli. De spe (l. c.)—(4) De veritate. Q. 23, a. 8, ad 2.

sensum, et hae revelationes in sacra Scriptura (1) ita intelliguntur, ut quid magis consentaneum providentiae Dei et sapientiae, cui ordinarie repugnat viatorem eo in statu constituere, quo non possit conari ad suum finem ultimum consequendum cum spe illum adipiscendi (2).

ARTICULUS III.

De ratione et objecto charitatis.

THESIS XXV.

Datur inter homines et Deum vera amicitia ac proinde charitas.

141. Nota. I. Charitatis nomen juxta aliquos a voce *carus* derivatum, quia quae amantur in multo pretio habentur, juxta alios a voce graeca *χάρις* gratia, benevolentia immediate et directe ortum, plures habet acceptiones: a) Sumitur latissime pro quolibet amore rei nobis gratae, quo sensu dixit Augustinus (3): «Charitas... alia est licita, alia illicita.» b) Minus late pro amore tantum honesto. Iterum Augustinus (4): «Quid est charitas... nisi amor »boni?» c) Pro dono gratiae sanctificantis. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur et simus (5). d) Pro ipso Deo, ut est objectum amoris benevolentiae juxta illud (6): *Deus charitas est, qui manet in charitate in eo manet.* e) Pro actu dilectionis vel Dei erga nos, vel nostri erga Deum, ut illud Jeremiae (7). *In charitate perpetua dilexi te*, et apud Joannem (8): *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* f) Pro habitu supernaturali, qui est virtus theologalis, voluntatem elevans et inclinans ad amandum Deum, amore benevolentiae et amicitiae supernaturali, quae est maxime propria charitatis acceptio. De ea loquitur Apostolus (9). *Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria haec, major autem horum est charitas.*

II. Amare ex S. Thoma (10) est alicui bonum velle: ac proinde amare Deum amore amicitiae est ipsi bonum velle praecise propter se, sine ullo respectu ad commodum amanti proprium. Amare autem Deum amicabiliter ex toto corde super omnia est illum ita propter se diligere ut vi istius amoris malit homo privari omni

(1) Matth. XXV. De Juda. Revelationes damnationis Antichristi non sunt ab eo credendae, neque illi sufficienter proponuntur.—(2) Suar. De spe. D. 2, sect. 2, 3.—(3) Serm. 349. De tempore.—(4) De Trinit. L. 8, c. 10.—(5) I. Joann. III, 1.—(6) I^a Joann. IV, 16.—(7) XXXI, 3.—(8) I^a II, 15.—(9) I, XIII, 13.—(10) I, Q. 20, aa. 1, 2; 2, 2, Q. 23, a. 1.